DEO OPT. MAX.

QVÆSTIO MEDICA

MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS

PRO APOLLINARI LAVREA CONSEQVENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM

CADOMENSIS ACADEMIÆ.

27

M. IOANNE LYOVLD DE MONLIEN, PROFESSORE MEDICO, ET DECANO FACVLTATIS, MODERATORE.

An in Asthmatis paroxysmo conueniat venæ sectio?

RESPIRATIO tantæ est ad vitam necessitatis, vt viuentem sine respiratione, aut respirantem non viuere omnino sit impossibile: hæc partim naturalis est, partim verò animalis; thoracis & pulmonum dilatatione, constrictioneque constans; ad caloris natiui tutelam, spiritusque vitalis in corde, & animalis in cerebro generationem destinata. Triplici læditur symptomatum genere, aboletur in ἀπνοίᾳ, imminuitur cùm parua est & rara; tandem verò deprauatur vt in asthmate: cuius natura in difficili, paruâ scilicet, frequenti & anhelosâ respiratione consistit, sine febre; sonitu verò sæpè & stertore quodam comitata. Ab asthmate δύσπνοιαν & ὀρθόπνοιαν distingue: in illâ, respiratio densior est, sine tamen vllo strangulationis metu: in hâc, tantâ spirandi difficultate premuntur ægrotantes, vt non modò anhelando, verùm etiam residentes, & erecta ceruice spiritum ducere cogantur.

PROXIMAM & continentem asthmatis causam asserimus angustiàm bronchiorum pulmonis, aut ab obstructione, aut à compressione genitam. Vtrumque hunc affectum suscitant nonnunquam crudum tuberculum, sæpius crudi humores & pituitosi; vel in pulmonibus geniti, vel à cerebro in pulmones delapsi, vel etiam in venis collecti; nunc motu corporis, nunc irâ, nunc ad aëris & tempestatum mutationes agitati, qui suprà conscendentes affatim & ἀθρόως per venam arteriosam in raram & fungosam pulmonum substantiam effunduntur. Crassi flatus, aut humores serosi, asthmatis concausæ existunt, non primæ aut principales: an verò talem affectum excitare possit pulmonum siccitas, nouerint aurifices, fabri ferrarij, & qui in metallorum fodinis, diuturniori tempore permanentes, pulmonum exsiccationem patiuntur.

ASTHMA c[o]gnoscere si volueris, prædictam respirationem attendere te oportet. Pulmonum compressionem dignosce pectoris grauitate, inspiratione difficili, tussis, stridoris & expectorationis carentiâ, sæpeque influentibus ad renes succis, crassarum vrinarum copiâ. Obstructionem bronchiorum detegunt catarrhus præcedens, tussis, ῥόγχος, ἀνάχρεμψις. Tuberculi crudi suspicionem faciunt δύσπνοια paulatim incipiens, sensim increscens sine tussi, sine sonitu, raroque aliquid per sputa excerni percipitur. δύσπνοια simplex leuior existit, asthma longè periculosius, ὀρθόπνοια omnium grauissima. Asthma omni sexui & ætati communis affectus, viros magis aggreditur, quàm mulieres: in iuuenibus difficulter soluitur, senes ad mortem comitatur: pueros huic morbo iuuenibus magis obnoxios citò suffocat, maximè si gibbi fuerint. Asthmati febrem superuenire bonum: si verò aut animi deliquium, aut notatu digna pulsuum inæqualitas, vel intermissio successerit, mortem præ foribus adesse audacter pronuncia.

IN asthmatis curatione duo tempora Medicum distinguere oportet; quietis, & paroxysmi: in quiete, habitâ diligenti causarum præmeditatione, ne morbus reuertatur, totis viribus intende: diæta sit quantitate moderata, ex cibis boni succi & facilis concoctionis, simplicibus, calidis, in siccitate & humiditate quasi medijs condita: potus esto melicratum, thoracicis, chinarumque radice medicatum: neque vini oligophori vsus displiceret in senibus, in virium debilitate, crudique humoris circa ventriculum præsentia. Sanguinem mitte vel è basilicâ, si quędam subsit plethoræ species, vel è malleolis, si vel muliebrium, vel etiam hæmorrhoïdum suppressio morbo occasionem dederit, vel saltem ipsum fouęre videatur: neque negligenda erunt purgantia, per ἐπίκρασιν repetenda, crassos & pituitosos humores euacuantia: corpora tamen primùm fluida reddere decet. Clysteribus, quibus flatus resolui, primarumque viarum saburra foras eliminari possit: his adde bechica, attenuantia & detergentia, (vitatis tamen calidioribus & siccioribus) quibus humor bronchijs pulmonum, aut eius substantiæ impactus, per expectorationem eijciatur.

PRAESENTE paroxysmo, ægrotantes à pręsenti periculo præserua; neque ipsos suffocari permitte. Quiesce ergo aliquando in solâ materiæ morbificæ intra pulmones genitæ commotione; ijsque vtere, quæ materiam in pulmonibus agitatam sine vllâ affluxus suspicione componant, aut etiam leuiter discutiant. Si verò accessionis causa aliunde affluxerit, erecto corpore ægrum sedere impera; partium inferiorum magnæ, fortes, & duræ frictiones pręscribantur, quemadmodum & cucurbitulæ leues, aut etiam aliquando cruentæ in fine dorsi, cruribus, & locis ilibus vicinis adhibendæ: vitentur suffitus: aër adsit purus & frigidus: mulierculárum, aliorumque importunè & inutiliter adstantium turbam repelle: à somno longiori, metu suffocationis, ægrotantem prohibe: interim bechica præscribere conuenit, quæ aëris vias lenire & expedire possint. Iuuat etiam clysteribus acriusculis aluum irritare, minore tamen quantitate pręscriptis; purgantibus medicamentis vti, ijsque fortibus & repetitis, si necessitas adfuerit. Cęteris tamen remedijs venæ sectionem antepone, si modò vires illius efficaciam tolerare possint: hanc itaque in insultu contumaci, mortemque minitante, modò è brachijs, modò è pedibus audacter repete; sic etenim pulmonum vijs laxioribus factis, longè faciliorem aëris commeatum efficies, & vehementem fluentis ad pulmones humoris impetum reuelles, ægrumque à præsente strangulationis discrimine præseruabis. Cùm itaque tantum possit venæ sectio, ad violentissimum symptoma attendentes, summumque, præ nimiâ pectoris oppressione, vitæ periculum; magnâ & iustâ ratione concludendum esse iudicamus:

Ergo *in Asthmatis paroxysmo conuenit venæ sectio.*

Proponebat DANIEL ROVSSEL *Pontaudomaraus, die 1. Decembris, ab 8. ad meridiem.* A. R. S. H. M. DC. LXIII.

CADOMI, Apud IOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.